



VViguleus natus est ex nobili Hundiorum familia apud Bauaros, Anno millesimo quingentesimo decimo quinto. Hic cum prima literarum rudimenta feliciter didicisset, sese ad Academias contulit, & liberalibus studijs operam dedit, deinde animum ad legum studia conuertit. In ijs tanta dexteritate perrexit, ut omnium assensu Iuris Doctor declararetur. Huic eruditioni addebat raram prudentiam, & uitæ integritatem, ita ut præclarum decus nobilitatis uideretur. Id cum Bauariæ princeps intellexisset, eum inter consiliarios adesse iussit. quod quidem Vuiguleus singulari fidelitate præstitit. Inter alia uerò studia in eruendis Genealogijs antiquæ Bauaricæ nobilitatis celebris existit, atque multis uirtutibus insignis etiamnum in Bauaria à cunctis agnoscitur. Anonymos,